PROFESSIO
ORTHODOXAE FIDEI
AB AETHIOPIBVS
FACIENDA

Iuſſu Sanctiſsimi D. N.

VRBANI VIII.

EDITA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMAE, Typis S. Cong. de Propag. Fide, MDCXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

PROFESSIO ORTHODOXAE FIDEI AB AETHIOPIBVS FACIENDA

Iuſſu Sanctiſsimi D. N. VRBANI VIII. EDITA.

EGO E firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet:

Credo in Vnum Deum Patrem Omnipotentem, factorem Cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus

etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Credo etiam ſuſcipio, atque, profiteor ea, quæ Sacra Generalis quarta Synodus Chalcedonenſis definiuit, & declarauit de duabus naturis in vna Chriſti Perſona. Quod vnus, & idem Filius, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus perfectus in Deitate, & perfectus idem ſit in humanitate. Deus verus, & idem verus homo ex anima rationali, & corpore; conſubſtantialis Patri ſecundum Deitatem, & idem conſubſtantialis nobis ſecundum humanitatem; per omnia nobis ſimilis abſque peccato; ante ſæcula quidem à Patre genitus ſecundum Deitatem, in nouiſſimis autem diebus idem propter nos, & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei Genitrice ſecundum humanitatem. Vnus & idem Chriſtus, Filius, Dominus, Vnigenitus in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiuiſè, inſeparabiliter agnoſcendus, nuſquam ſublata differentia naturarum propter vnitionem; ſed magis ſalua proprietate vtriuſque naturæ, & in vnam perſonam,

Eug. 4. in Decret. Conc. Flor. pro Arm. Conc. Chalced. Act. 5.

nam, atque ſubſiſtentiam concurrente; non in duas perſonas partitus, aut diuiſus; ſed vnus idemque Filius, & Vnigenitus, Deus Verbum, Dominus Ieſus Chriſtus, ſicut ante Prophetæ de eo, & ipſe nos Ieſus Chriſtus erudiuit, & Sanctorum Patrum nobis Symbolum tradidit. Hanc veram Catholicam & Apoſtolicam doctrinam S. Chalcedonenſis Synodi puro corde credo, & ore confiteor, anteà quoque non obſcurè declaratam ab ipſa prima ſancta Generali Synodo Nicœna; dum in ſuo ſymbolo docet, illum ipſum Dei vnigenitum factum eſſe hominem, & eſſe paſſum, eundemq. Dei Filium immutabilem, & inalterabilem eſſe: quod enim vnus, & idem mori poſſet ex vno, & mori non poſſet ex altero, inconfuſas planè oſtendit proprietates Verbi, & carnis.

S. Leo in epiſt. ad Flauianum Chalcedon. act. 2.

Hanc etiam fidem tradidit ſanctus Cyrillus in Epiſtola ad impium Neſtorium, quam tertia ſancta Epheſina Synodus, vti eiuſdem primæ Synodi Nicœnæ doctrinam ſuſcepit: ait enim ſanctus Pater. Non enim dicimus naturam Verbi mutatam eſſe factam Carnem, aut mutatam eſſe in totum hominem anima & corpore conſtantem, ſed diuerſas eſſe dicimus naturas, quæ ad veram vnionem coierunt, vnum verò ex ambabus eſſe Chriſtum, & Filium, non ſublata diuerſitate naturarum propter vnionem, ſed quod ex Diuinitate, & humanitate ſit vnus Dominus Ieſus Chriſtus, & Filius per ineffabilem, & inexplicabilem concurſum ad vnionem. Ita dicimus, Deum Verbum paſſum eſſe, & reſurrexiſſe, non quod ipſa Dei Verbi natura paſſa ſit vulnera; impaſſibilis enim eſt Diuina Natura

Epheſ. par. 1. cap. 8. Refertur, & approbatur à Synodo actione prima.

cum ſit incorporea: ſed quia Caro facta Verbi propria hæc paſſa eſt, Verbum dicitur paſſum pro nobis; ſiquidem in patiente corpore erat impaſſibilis Deus; quoniam æquè ac nos communicauit carni & ſanguini, aſſumpta quoque carne manens quod erat. Quocirca à Sanctis Beatiſſima Virgo affirmata eſt Dei Mater, quoniam ex ea natum eſt ſanctum corpus animatum anima rationali; cui Verbum vnitum ſecundum Hypoſtaſim dicitur natum ſecundum carnem.

Eugen. 4. in decret. pro Armen. Item ſuſcipio cum ſancta Chalcedonenſi Synodo Beatiſſimum Leonem Papam, & eius Epiſtolam contra impia Eutychis, & Dioſcori dogmata, quam Sancta Synodus Chalcedonenſis orthodoxæ fidei columnam appellauit. *Synod. 5. collat. 8. anathem. 8.* Et quæ S. Generalis quinta Synodus definiuit pro Chalcedonenſi Synodo, præſertim verò quæ exponens propoſitionem illam: Vna eſt natura Dei Verbi incarnata: declarauit, anathematizans eos, qui ex tali propoſitione conantur introducere vnam naturam, ſeu ſubſtantiam Deitatis, & carnis, & non ſic excipiunt, ſicut Patres docuerunt; Nimirum quòd ex natura Diuina, & humana, vnitione ſecundum ſubſiſtentiam facta, vnus Chriſtus ex duabus, & in duabus naturis effectus ſit, non confuſione aliqua naturarum in ſeinuicem facta, ſed permanente vtraque hoc quod eſt, vnus ſit Chriſtus Deus, & homo.

Act. 18. Item ſuſcipio, quæ ſancta Generalis ſexta Synodus definiuit de duabus naturalibus Chriſti Domini voluntatibus, & duabus naturalibus operationibus indiuiſè, inconuertibiliter, & inſeparabiliter, & inconfuſè in vno, eodemque Domino noſtro Ieſu

Chri-

Chriſto; & humanam eius voluntatem non contrariam, ſed ſubiectam Diuinæ, atque omnipotenti eius voluntati.

Similiter ſuſcipio, quæ generale Concilium Viennenſe ſub Clem. V. & quæ generale Concilium Lateranenſe ſub Leone X. diffinierunt de anima rationali, ſeu intellectiua, quòd ſit immortalis, & verè, per ſe, & eſſentialiter forma corporis humani, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda; & quòd eadem anima rationalis, ſeu intellectiua, non vt cæterorum animantium animæ per ſeminalem propagationem traducitur, ſed iuxtà veram, & Catholicam doctrinam à Deo creatur, & ſimul corpori infunditur, ita vt ipſi corpori nullatenus præexiſtat; & rectiſſimè à Theologis dicatur, Deum animas creando infundere, & infundendo creare.

Clemen. 1. §. porrò de ſumma Trinit. & fid. Catholica Concil. Later. ſeſſ. 8.

Item ſuſcipio quicquid ſuper vnione Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ Sancta Oecumenica Florentina Synodus diffiniuit, & declarauit, & quicquid Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia ex decretis ſacræ Oecumenicæ generalis Synodi Tridentinæ profitendum, ac recipiendum propoſuit, atq; præſcripſit, videlicet Spiritum ſanctum à Patre, & Filio æternaliter eſſe, & eſſentiam ſuam, ſuumq. eſſe ſubſiſtens habere ex Patre ſimul, & Filio; & ex vtroq; æternaliter, tanquam ab vno principio, & vnica ſpiratione procedere, iuxta doctrinam etiam S. Cyrilli in tertio Generali Concilio Epheſino. Cum id quod ſancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum, ad hanc intelli-

Pius 4. in Conſtit. incip. Iniunctũ nobis.

Diff. Concil. Floren.

Par. 1. c. 3. ſ. 26. p. 3. cap. 1.

gentiam tendat, vt per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem cauſam, ſecundum Latinos verò principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem. Cumq. omnia, quæ Patris *Diff. Conc. Florent.* ſunt, ipſe Pater Vnigenito Filio ſuo gignendo dederit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum, quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt. Illamque verborum illorum, Filioque, explicationem veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè, ac rationabiliter ſymbolo fuiſſe appoſitam.

Eadem defin. Floret. Item in Azymo, ſiue fermentato pane triticeo Corpus Chriſti, & in Vino vitis, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima debet admiſceri, Chriſti *Eugen. in decreto pro Armen.* Sanguinem; veraciter confici: & aquam ideò admiſceri vino: quia iuxta teſtimonia ſanctorum Patrum, & Doctorum Eccleſiæ creditur, ipſum Dominum in vino aqua permixto, hoc inſtituiſſe Sacramentum.

Eadē diffinit. Conc. Florent. Item Sacerdotes conficere debere Corpus Domini in altero, nimirum vel azymo, vel fermentato, vnumquemque iuxta ſuæ Eccleſiæ, ſiue Occidentalis, ſiue Orientalis conſuetudinem.

Conc. Trid. ſeſſ.22.can. 1 & 3. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & *Conc. Trid. ſeſſ.13.can. 1. & 2.* defunctis; atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti; fieriq. conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem; quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat.

Fa-

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum, & integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi.

Conc. Trid. ſeſſ 21. c. 3.

Item conſtanter teneo Purgatorium eſſe; ibiq. animas eorum, qui verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, pœnis Purgatorijs poſt mortem purgari; & vt à pœnis huiuſmodi releuentur, prodeſſe eis fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri conſueuerunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta; illorumq. animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt; Illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum Trinum, & vnum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius.

Eadem defınit. Conc. Florent.

Concil. Trident. in decret. de Purgatorio ſeſſ. 25.

Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, etiam ſi nati ſint à parentibus baptizatis, mox in Infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus perpetuò puniendas. Nec infantibus cum originali decedentibus poſſe ad ſalutem conſequendam quicquam prodeſſe, quòd orti ſint ex parentibus ſacra communione refectis.

Eadē diff. Conc. Florent. & Conc. Trident. ſeſſ. 5. in Decreto de peccato Originali.

Item ſanctos vna cum Chriſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe; eoſque Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Conc. Trid. ſeſſ 25. in decreto de inuocatione &c.

Fir-

Idem Conciliũ Trid. ibid. Firmiſſimè aſſero, Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe; atque eis debitum honorem & venerationem impertiendam, vt ex traditione Apoſtolica Generalis ſeptima Synodus declarauit.

Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 3. Eugen. 4. in definit. Conc. Flor. Item profiteor, ac firmiter teneo; Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam Romanam eſſe omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram; & ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum Orbem tenere primatum; & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusq. Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere; & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. Eidemq. Romano Pontifici veram obedientiam ſpondeo, & iuro.

Cõc. gen. 7. Act. 7. 3. & Triden. ſeſſ. 4. in decr. de canon. ſcript. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, etiam non ſcriptas, reliquasq. eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & Conſtitutiones firma fide admitto, & amplector.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. in decreto de editione ſacr. libr. Item ſacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam vnquam niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, ac propriè

Sa-

Sacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria: ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaq. gratiam conferre. & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Eugen. 4. in decreto pro Armen. Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. de Sacr. in genere.

Item fateor hæc ſeptem nouæ legis Sacramenta multum differre à Sacramentis antiquæ legis: nam legis nouæ Sacramenta continent, & conferunt gratiam, quam ſignificant, non ponentibus obicem: legis verò antiquæ Sacramenta figuram tantum fuiſſe, & adueniente Chriſto ceſſaſſe, ac proinde poſt promulgatum Euangelium Moſaycæ legis obſeruationes, vt circumciſionem, Sabbata, ciborum delectum, & cætera legalia ſine interitu æternæ ſalutis ſeruari non poſſe.

Conc. Trid. de Sacr. in genere ſeſſ. 7. can. 6.

Conſt. Eug. in Concil. Floren. pro vnione Iacobitarum.

Ex his verò nouæ legis Sacramentis Baptiſmum in pueris non eſſe neceſſariò differendum, & ſi mortis immineat periculum, cum ſit ad ſalutem neceſſarius, omninò eſſe conferendum.

Conc. Trid. ſeſſ. 7. Can. 5. & 12. de Baptiſ.

Sacræ autem Confirmationis Ordinarium Miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum, & non quemlibet ſimplicem Sacerdotem.

Conc. Trid. ſeſſ. 7. Can. 3. de Confirmat.

Ad Sacram porrò Euchariſtiam neminem ſibi conſcium mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione (modo non deſit illi copia confeſſoris) accedere debere; quòd ſi neceſſitate vrgente Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimum confiteatur.

Conc. Trid. ſeſſ. 13 c. 7. & c. 11.

In

Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. In Sacramento verò pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium eſſe iure Diuino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant.

Item per Matrimonij Sacramentum, cum ſit ſignum coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, oriri vinculum inter duos tantum coniunctos, & copulatos, quod poſt ipſum matrimonium ratum, & conſummatum nullo modo, niſi per mortem alterius Coniugum diſſolui poteſt: Et licet quoad thorum, & cohabitationem ob fornicationem, & alias cauſas, eorum ſeparatio interdum fiat iudicio Eccleſiæ ad certum, vel incertum tempus: non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſſe, cum matrimonij legitimè contracti vinculum ſit perpetuum, nec licere viro plures ſimul vxores habere, nec mulieri plures viros.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. in doctrina de matrim. & can. 7. Eugen. in decret. pro Armen.

Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto.

Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 13. de ſacr. in genere.

Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Synodo Tridentina definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Concil. Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccat. origin. & ſeſſ. 6. in decreto de Iuſtific.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq. vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. in decreto de Indulg.

Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, prout recipit S. R. E. ſimulq.

mulq. contraria omnia, & ſchiſmata, atque hæreſes quaſcumque ab eadem Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, anathematizo, & abiuro.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo; eandem integram, & inuiolatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè Deo adiuuante retinere, ac confiteri; atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum.

Ego idem ſpondeo, voueo, ac iuro. ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE


EVNTES IN VNIVERSVM MVNDVM PRÆDICATE EVANG · OMNI CREAT ·